

I. N. 7.

INDULTU NUMINIS

ET SERENISSIMI

PRINCIPIS CLEMENTIA

Imagines Hebræa-  
rum rerum,

quæ nostra ætate circumferuntur,

*ex parte*

recensebit & emandebit

P R Æ S E S

THEODORUS DASSOVIUS,

SS. THEOL. LICENT. EJUSDEMQUE UT ET LIN-  
GUAR. ORIENT. PROFESS. PUBL. ORDINAR. ET AD  
D. NICOL. PASTOR PRIMARIUS,

RESPONDENTE

ANDREA BREYMANNO,

Kirchvvalinga - Luneburg.

in Auditorio Theolog.

*ad diem 10. Augusti MDCCCI.*

---

KILONI,

RECUSA MDCCXIV.

(5)

Coll. diss. A  
24, 35

*20.*

*a. XXXIV. 35.*

INDULTU NUMINI  
BY SERENISSIMI  
PRINCIPIS CLEMENTIA  
Imagines Hebrae-  
rum Terum,  
duo postea aetate circumferuntur.

recensio et emendatio



THEODORUS DASSOVIVS  
SS. THEOL. LICENT. BISHOPHOFFEN UT ET LIN-  
GUA ORIENT. PROFESS. THEOLOGORUM ET AD  
D. NICOL. PASTOR PRIMARIUS  
ANDREA BREYMANNO.

55



I. N. J.

PRÆFAMEN.



Utm nervi atqve artus sint sapientia non temere credere, merito miramur, qvi fiat, qvod hoc scripturiente seculo, qvibuslibet assertis, qvæ de Hebræorum rebus circumferuntur, sine ulla indagine credatur. Nam inter eos, qvi Hebræis operantur literis, oppido multum est discriminis, cum nec pari ad institutum ingenio accedant omnes, nec pariter omnes, qvæ requirebatur, conferant industriam, nec discendi ad miniculis idoneis universi gaudeant. Sed in pulcherrima contentione industria, aliqui in primis, aliqui in secundis vel tertiis, prout temporis vel operæ ferebat ratio, subsistere cogantur. Ut autem constet discendi avidæ juventuti Academicæ, qvinam Hebræas res illustrare imaginibus aggressi sint, eam sibi operam sumpserunt, *præter Joh. Baptistam Vilalpandum Romæ in fol. excu-*

A 2

sum

*sum & Ariam Montanum Eduardus Lee peculiari libro in fol. imaginibus in singulis paginis referto, Joannes Seldenus, in libro de jure naturali & gentium juxta disciplinam Hebræorum in fol. & 4. Joannes Braunius Prof. Groningens. in libro de vestitu sacerdotum Ebræorum in 4. & in selectis sacris in 4. Joannes Christoph. Wagenseilius, Prof. Altorfinus in Sota in 4. Constantinus l' Empereur in Middoth in 4. vir in his literis precipuus, Joannes Saubertus Prof. Altorfin. in Jacobi Jehuda Leon. librum de templo Hierosolymitano in 4. Hermann. Witsius in Miscellaneis sacris in 4. Guilielmus Surenhusius in Mischna sive totius Hebræorum juris rituum, antiquitatum & legum orationum systemate aliquot Tomis in fol. Anno 1698. & sequentibus excuso. Wilhelmus Gærens in judaicis antiquitatibus Belgico idiomate expressis, 2. vol. in fol. Amst. An. 1690. ut & ex Gærai Manuscriptis in nova editione Cunei Belgica tribus voluminibus in 8. An. 1685. Amst. impressis, ubi innumera fere imagines occurrunt. Joannes Coccejus in Ezechielem operum T. 3. edit. Francof. in fol. Matthias Hafnerfferus in templo Ezechielis edit. Tubingensis*

*sis Ludovicus de Compigne de Veilin libro de-  
cultu divino ex Mosis Majemonida secunda le-  
ge, Parisiis Anno 1678. in 4. excuso. Salomon  
Van Till, Profess. Dordracenus, in libro Bel-  
gico idiomate de veterum & inprimis Hebræo-  
rum Musica Dordraci Anno 1692. edito, Moses  
filius Gersom in libro Chaphetz, Venetiis mul-  
tis imaginibus distincto. Jehuda Leonis in  
Planta de la situacion del tabernaculo & in  
planta del admirable real en todo al derredor  
del tabernaculo, Leonh. Christ. Sturmius in  
sciagraphia Templi Hierosolymit. in 4. & nu-  
per Joannes Lundius Sacerdos Tunderanus in  
nova edit. posthuma in fol. Hamburgi Germa-  
nice excusa Anno 1701. publici juris facta.  
Quorum omnium diligentiam, quam adhibue-  
runt, si mente mecum animoque reputo, non  
possum non primas Professoribus Academicis de-  
ferre partes, utpote in his literis exercitatis, Sa-  
cerdotibus autem & iis, qui aliis impediti curis  
minus ad hanc rem contulerunt operæ, non nisi  
secundæ vel tertiæ relinqvuntur, laudantur ta-  
men, quod progredi eo usque voluerint, quo  
poterant. Hoc enim extra omnem dubitatio-  
nis poni videtur aleam, illos, qui libros Hebræo-*

rum non legerunt, sed Christianorum tantum |vi-  
tula ararunt, non posse anteferri illis, qui ipsam  
lingvæ indolem, & præcipuos ejusdem magistros,  
nocturna diurnaque versarunt manu, & in dissen-  
sionibus literariis, juxta concilium Hierosolymi-  
tanum summum rem deciderunt, cum reliqui ha-  
rum decisionum ignari, nescio quas sententias se-  
quuntur, nequidem probabiles. Si autem in pri-  
mis rem videntur tetigisse acu, qui imagines a  
Judæis ad mentem veterum expressas, secuti sunt,  
v. g. imagines, quas oculis subjecerunt *Josephus*  
*Barisafchar in sepher Joseph Daath edit. Pra-*  
*gensis in 4. Et Jacobus Kaphelius in sepher O-*  
*meck halacha edit. Cracoviensis in 4.* quorum  
autorum fides vix vocari in dubium potest, cum  
decisa Hierosolymitana sequantur. His præmis-  
sis ad rem ipsam accedimus. Sit itaque

THESIS

THESSIS I.

Arcæ fœderis insistebant Cherubini duo, puerorum instar, quorum alis imminebat nubes gloriæ;

§. 1.

Sunt qui Cherubinos delineant, quasi arcæ in virili forma adstiterint, sed refragantur Hebræi veteres, qui constanter asserunt ex ipsa propitiatorii sacri massa solida fuisse fabрили opere confectos, ut removeri ab ea non potuerint, & in ejus latitudine positos, idque probant ex Exod. 25. commate decimo nono. *Videantur Jarchius in h. l. in Bibl. Buxtorff. & Levi Ben Gersom, in Perusch al battora edit. Venet. in fol. fol. 101. col. 3.* Quod autem in latitudine ponerentur multis rationibus confirmat *Alphonsus Tostatus Operum T. 2. part. 2. edit. Calon. p. 43.* Quid autem significarint docet *Jacobus Leonitius in tractu de Cherubinis Amstel. in 4. excuso.*

§. 2.

Alii Cherubinos effigiant; quasi ingenua procumbant in propitiatorium, sed quod steterint, Hebræi volunt, quia ipsimet stantes illos exhibent *in titulo versionis Germanicæ V. T. Jekutbielis, Amstelod. in fol. excusa.*

§. 3.

Alii nubem gloriæ & infra & supra alas Cherubinatorum collo-

collocant, sed Deus nusquam in sacro codice sedere infra Cherubinos, sed sedere supra Cherubinos dicitur. Imo Majestati divinæ adversaretur, si Cherubinatorum alis protegi necesse haberet. Hebræi autem illud spatium, a nube gloriæ vacuum, quod inter alas Cherubinatorum & inter propitiatorium erat, arbitrantur fuisse palmorum decem, sicut eleganter docet *Elias Orientalis in Pentateuch. edit. Cracov. in fol. f. 127. col. 4.*

## THESIS. II.

**Sanguines ante vel supra arcam fœderis sparsi inter vectes arcæ spargebantur.**

### §. I.

Cernimus sacerdotem summum sanguinem spargentem in festo expiationis ita affigiari, ut a latere arcæ extra vectes consistens sanguinem nudea manu illinat propitiatorio, quæ sententia omni antiquitatis consensu caret. Nam quod sacerdos summus inter vectes arcæ steterit, expressis verbis affirmat *Maimonides in opere antiquitatum, in libro de festo expiationis cap. 4. edit. Veneta majoris, T. 2. fol. 476. col. 4. & edit. Veneta minoris T. 3. fol. 266. p. 1. Idem docetur in Mischna Jomac. 4. ubi præterea adjungitur, non solum inter vectes stetisse sacerdotem cum sanguinem spargeret, sed & cum suffitum in sancto sanctorum adoleret.*

### §. 2.



§. 2.

Ut autem se habuerit modus ille spargendi sanguinem, docetur in locis jam citatis. Nempe sacerdos summus nudo digito in aëre spargebat sanguinem ante propitiatorium, semel sursum, & septies deorsum, ac singulas aspersiones numerabat. Quod autem sanguinem non illeverit propitiatorio, quin potius nulla guttula tangere propitiatorium debuerit, perspicue docet *Obadiaz de Bartenora in Miscbnamjoma edit. Rivenfis in fol. 93. p. 1.*

§. 3.

Ubi simul observentur phrases, Levitic. 16. v. 14. adhibitæ, nimirum, *spargere sanguinem ante propitiatorium*, quæ phrasis notat spargere in latere propitiatorii orientali, & multum fecit negotii *Tostato, Bonfrerio & Lorino* existimantibus pone propitiatorium stetisse sacerdotem summum, & *spargere sanguinem e regione propitiatorii*, quæ phrasis notat spargere æquali cum propitiatorio altitudine. Quo pertinet etiam phrasis *spargere supra propitiatorium* quæ notat altius spargere propitiatorio.

THESIS III.

Candelabrum sacrum concinnatum  
 erat ex pomogranatis & floribus,  
 & crateribus tectis, ac ponebatur  
 B in

in austro, ita tamen ut rami inter  
austrium & aqvilonem colloca-  
rentur.

§. 1.

Nonnullæ imagines in candedabro sacro exhibent  
lilia, sed lilia non sunt pomogranatorum flores, qui hic in-  
telliguntur.

§. 2.

Aliæ imagines scutellas exhibent, qui error exinde na-  
tus est, quod Hebraei scribant, flores illos pomogranatorum  
fuisse scutellarum instar expansos diductosque; inde tamen  
non sequitur, quod scutellæ fuerint, quandoquidem illa ex-  
pansio non figuram scutellarum, sed latitudinem scutella-  
rum aut paterarum quodammodo habebat.

§. 3.

Aliæ imagines pocula effigiant aperta, cum crateres  
tectos debuissent exhibere oculis. Ham Hebræa  
vox גביעים alterius erat figura quam כוס ut docet  
*Kimchi in libro Radicum edit. Ven. in fol. f. 79.*  
& quidem in parte superiori lati in inferiore angusti;  
cujusmodi erant pocula Alexandrina, quæ vocaban-  
tur Madernos. Conferantur *Majmon. in Miscbnam Mena-  
choth. c. 3. edit. Rivensis in fol. f. 362. p. 1. & Farchius in  
Gemaram Menasboth edit. Amstelod. Immanuelis Bene-  
venisti fol. 28. p. 2.* Quod autem in illis locis Menachoth  
crateres tecti intelligantur, docet *Josephus Bar Isaschar in  
sepber*

*sepber Joseph Daatbedit. Pragensis in 4. fol. 58. p. 2. qui sequi se Gemaram Menachoth fatetur, & crateres tectos delineat, simulque mentem Jarchii interpretatur, cujus exempla Manuscripta multoties allegat. Similiter Jacobus Kapbelius in Omeck Halacha edit. Cracov. in 4. f. 47. p. 1. crateres tectos exhibet ad mentem veterum, & simul quomodo amygdalato opere confecti sint, oculis subjicere conatur. Quod majus est, in arcu triumphali Titi Vespasiani qui candelabrum sacrum usurpavit oculis, & Romam deportari jussit, crateres tecti reperiuntur, cujusmodi imago in Vilalpando occurrit, ex quo suam fecit Salomon Van Til. in libro de Musica veterum imprimis Hebraeorum Belgico idiomate Dordraci in 4to edito p. 481. Nec ab hac sententia alienus Försterus est, qui in Dictionarii Hebraici P. 127. edit. Basileens. scribit כַּיָּא esse scyphum sive poculi genus a forma colliculi sive galeri, volebat dicere, quia quasi galero tegebatur, quia vox כַּיָּא notat collem, qui est instar galeæ vel galeri. Cum quo consentit Johannes Lorinus in Commentar. in Levitic. ed. Lugdun. in fol. 219.*

§. 4.

Aliæ imagines pocula poculis inserunt, quasi tria & tria pocula candelabri sibi invicem insererentur, quæ imagines nequidem responsione dignæ sunt, cum phrasi Hebrææ repugnent.

§. 5.

Licet autem candelabrum sacrum in austro poneretur, tamen rami ejusdem inter austrum & aquilonem conspiciantur. Ita enim candelabrum sacrum delineat *Jom Tobb Lip-*

*man, Natbanis filius in commentario in Middotb. edit. Wülmersdorff. 4. ad fol. 144. ubi simul totum Hierosolymitanum templum cum omnibus atriis, & illorum conclavibus, ad mentem veterum Doctorum Mischnicorum incredibili industria, & non mediocri ingenio oculis humani subjicit. Cum quo consentit Moses Ben Gerson qui ante paucos annos Venetiis 58. capitibus delineavit templum. Adstipulatur quodque celeberrimus Lightfootus in descriptione templi Hierosolymitani edit. Roterodamensis in fol. T. 1. p. 584. col. 2.*

§. 5.

Ex quibus facillime apparet, candelabra Salomonea decem, quæ una cum candelabro Mosaico in australi templi sacri latere ponebantur, ita fuisse collocata, ut rami omnes inter austrum & aquilonem, non autem inter orientem & occidentem conspicerentur, non levi errore recentiorum scriptorum, qui ramos candelabrorum omnium inter orientem & occidentem collocant, & ab erudita gente veterum Hebræorum merito deseruntur; siquidem hac ratione lucerna media candelabri Mosaici non posset vocari occidentalis, cum aliæ lucernæ essent occidenti viciniore, quod tamen Hebræi negant. *Vid. Jephæ Mareb. edit. Venet. in fol. 127. p. 1. col. 1.*

§. 6.

Quid autem illa candelabra significarint, interpretatur *Josua Aben Sueb in legem edit. Cracoviensis in fol. f. 30. col. 2. f.*

THESSIS IV.

**Mensa panum facierum nonnisi uno limbo infra tabulam cingebatur,**  
&

& duo panes infimi imponebantur mensæ, reliqui furculis & calamis sustinebantur.

§. I.

Vix videre licet, mensam panum facierum uno cingi limbo, sed communiter cingi duobus solet, cum tamen si supra tabulam limbus poneretur, panes facierum infimi, utpote ultra tabulæ latitudinem prominentes imponi mensæ non potuissent, siquidem limbus iste superior impedimento erat. Ita Hebræi sentiunt, quorum sententiæ congruit ipse arcus triumphalis *Titi Vespasiani*, ubi mensa panum facierum in triumphum portata, non nisi uno limbo inferiore gaudet, non levi documento bona fide hæc transmissa a Judæis posteritati esse, cum ipsa antiqua marmora de veritate historiæ testentur.

§. 2.

Sunt qui duos panes infimos in patinis, reliquos in calamis positos exhibeant, cum tamen sine patinis in nuda mensa requiescerent illi duo infimi, & cæteri sustinerentur calamis. Nam duo stipites aurei cuilibet panum ordini in terra adstabant, ex quibus calami prodibant aurei, quibus singuli sustinebantur panes, exceptis infimis. Quæ fusius explicantur in *Majmonide T. 3. Antiquit. edit. Venet. minoris tit. de domo electa cap. 3. §. 13. seqq.* ubi scribit, stipites vocari *Kuschot*, calamos vocari *Monaccijoth*, & præterea adjungit, vasa in quibus thus apponebatur panibus vocari *Cappoth*, & formas in quibus coquebantur pa-

nes vocari Kearoth, quæ vocabula occurrunt Exod. 25. v. 28. Conferantur *Jarchius* in h. 1. ubi paria leguntur, & *Mischna demuneribus cap. XI. §. 6. & in eam Majmon. edit. Rivens. in fol. f. 368. p. 1. ut & in eandem Mischnam Jom. Tobh. edit. Wülmersdorf. in 4. f. 45. p. 1. ac denique Moses Ben Gersom & Fortunatus Scacchus sacrorum eleobrysmatum myrothec. edit. Roman. in 4. T. 2. c. 40. p. 386. qui panes illos decline-  
ant.*

§. 3.

Sunt, qui omnes panes, etiam qui innituntur calamis, una cum patinis exhibeant, sed patinæ omnes abesse debent, ac imprimis patinæ calamis imponendæ ne cogitari quidem mente poterant, cum nullum haberent usum, quoniam calami sustinendis panibus sufficiebant.

§. 4.

Sunt denique qui panes cum calamis sed, sine furculis exhibeant, sed si furculæ demantur, panes fuissent sibi invicem impositi, & sustinere inferiores molem superiorum non potuissent, sed frangi debuissent.

**THESIS V.**

**Panes facierum non quadrati sed oblongi erant ac in duabus extremitatibus inflectebantur, quæ flexuræ vocabantur panum cornua.**

§. I.

§. 1.

Non satis accurate depingunt panes facierum, quid illos quadratos faciunt, siquidem longitudo panum erat palmorum decem, latitudo palmorum quinque, ceu legitur in *Mischna de muneribus c. XI. §. 5.* Et in *Simeonis Jaluth, edit. Cracoviens. in fol. T. 1. fol. 100. col. 3.*

§. 2.

Flexuræ illæ erant altæ 7. digitos, & duæ erant in quolibet pane juxta *Mischnam jam citatam c. XI.* quas flexuras delineat *Jehuda Leonis in Planta de la Situacion del tabernaculo* ex quibus alii hanc imaginem fecerunt suam. Non autem erant acuminatæ, sed planæ (quia nec cornua altaris erant acuminata) ad palmi latitudinem *Vid. Jom Tobb. l. 6. f. 44. p. 2. f.*

§. 3.

Perperam autem flexuræ illæ ab aliis omittuntur, qui panum tantum longitudinem & latitudinem effigiant, altitudinem omittunt, cum tamen juxta altitudinem in primis vocarentur panes facierum sive laterum, docentibus Hebræis, latus autem sive facies continebat palmi latitudinem.

## THESIS VI.

**Lamina aurea fronti sacerdotis summi applicabantur, non autem tiaræ**

ræ sacerdotalis apici imponi de-  
bet.

§. 1.  
Novus error imaginum in tiara deprehenditur, cujus apici lamina aurea affigitur, quæ frontem sacerdotis summi, non vero tiaram tegere debebat. Nam tiaræ apex non vocari frons sacerdotis poterat, nec hac ratione lamina frontale dici potuisset, si fronti non adhæreret; quid quod ipse *Maimon. T. 3. in libro de vasis sanctuarii* scribat, sacerdotis summi capillum inter laminam & tiaram comparuisse, quod fieri non potuisset, nisi fronti illa lamina fuisset applicata. Cui suffragantur *Levi Ben Gersom in Perusch al hattora edit. Venet. f. 107. col. 2.* & *Rabbenu Bechaj in Biur al hattora edit. Cracoviensis in fol. f. 114. col. 4.* qui totam laminam describit. Unde recte *Braunius Sacerdotalem laminam expressit in libro de vestitu Sacerdotum Hebræorum, p. 822. & 823. in 4. edit. Amstelod.* Cur autem fronti applicari debuerit explicat *Salomo de domo Levi in Part. 1. edit. Ven. in fol. f. 250. col. 4.*

§. 2.

Ex Pontificiis *Lorinus* rei veritate victus itidem illam laminam fronti sacerdotali applicat, & ex *Comestore* hunc in modum commentatur edit. *Lugdunens. in f. p. 212. super frontem laminam auream, (habebat) quam petalum dicunt, ad modum Lune dimidiæ factum, quæ arcuationem sursum habens, & in medio annulum aureum, uncino aureo inferebatur, quod erat in tiara hyacinthina, & post pauca: & circumducta capiti ligabatur in occipite.*

§. 3.



§. 3.

Nec laminae fronti applicandae aliis gentibus praeter Judaeos ignotae erant, siquidem *Paschalius in libro de coronis edit. Lugdun. Butavor. in 8. p. 269.* scribit, laminas ferreas frontibus fuisse a militibus applicatas, si conflagrare cum hoste cuperent.

§. 4.

Si autem indagetur, qui factum sit, ut tiarae apici imponeretur lamina, inde videtur natus error, quod illa lamina cum tiara sacerdotali constringeretur, ut recte ex *Exod. 28. v. 36.* docent *Joannes Lightfoot Operum T. 1. edit. Roderodamensis in fol. p. 682.* & *Joannes Henricus Otho in Lexico Rabbinico Philologico edit. Genevensis in 8. p. 547.*

## THESIS VII.

Sacerdotum coma ita tondebatur, ut infra aures, non supra demeretur, & aures tegerentur crinibus; quod si non fieret, sed aures apparerent nudae, tonsio erat idololatrica, sacerdotibus interdicta.

§. 1.

Nostra aetate sacerdos Hebraeorum nudis auribus a nonnullis pingitur, cum tamen *Levitic. 19. v. 27.*  
 C injun-

injungatur, quod anguli capitis non tonderi debeant, sive quod aures tegicrinibus debeant, siquidem anguli capitis complectebantur aures, quoniam a maxilla superiori anguli barbæ incipiebant. Hæc magno consensu Hebrææ gentis asseruntur. Nam quod removeri crines circa tempora non debeant legitur in *Sipbra sive Torath Cobanim edit. Venet. T. 2. in. fol. fol. 210. col. 3.* ubi anguli capitis exacte describuntur. Quod autem illa tonsio esset idololatrica, si aures denudarentur, fusc ex Hebræis ostendimus in *dissertatione Wittenbergenfi de Coma Hebræorum licita & interdicta A. 1695. habita*, ut huic supersedere negotio facile possimus, ubi simul imaginem idololatricæ hujusmodi tonsionis oculis subjecimus. Possent etiam exempla ex historia Ægyptiaca repeti, siquidem sacerdos Ægyptius supra aures tondebatur, cujus imaginem exhibet *Michaël Angelus Carseus de la Chaussée in Romano Musæo edit. Rom. in fol. sectione 2. imagine 36.*

§. 2.

Adstipulantur nobis quoque *Henricus Ainsworthus*, qui in *Commentar. Anglico in Levitic. p. 117. edit. Londinensis in fol.* hanc tonsionem fuisse idololatricam ex *Herodoto*, & ipso *Majmonide* in libro de idololatria c. 12. §. 1. probat. Paria leguntur in *Cornelia a Lapide edit. Antwerpenf. T. 1. p. 712.*

§. 3.

Multo minus dici potest angulos capitis sacerdotalis supra frontem quærendos esse. Nam duo anguli capitis ad finem aurium quærebantur, sive infra aures, sicut  
 ex

ex Judæorum mente illos angulos delineat *Jacobus Kaphe-  
lius in Sepher Omeck balacha edit. Cracoviensis in 4. fol. 34.*

P. 2.

§. 4.

Quodsi Joannem Clericum hac dēre consulamus  
*in Commentar. in Levitic. edit. Amstetod. in fol. f. 257.* ap-  
paret, illum quidem extremitatem capitis, quæ tonderi  
interdicebatur, intelligere de ejusmodi tonsura, qua  
crines in orbem circa totum caput tondeantur, & sic  
nobiscum facere, nisi quod illam tonsionem ad cutem  
fuisse factum arbitretur, cui sententiæ Hebræi refragan-  
tur, licet illam Græci interpretes Hebræarum rerum igna-  
ri amplectantur.

## THESIS VIII.

Pallium sacerdotis summi, tintinna-  
bulis & promogranatis ornatum,  
ad pedes usque descendebat, & erat  
in utroque latere apertum.

§. 1.

Plerique imaginum scriptores illud pallium clau-  
sum ad genua usque delineant, sed quod a collo us-  
que ad infimas corporis partes descenderit, sicut omnia  
Hebræorum pallia descendere eo modo solebant, docet  
*Majmon. T. 3. Operum titulo de vasis sanctuarii c. 9. §. 3.*

C 2

ita

in quem locum commentatur *Josepb. Karo* hanc phrasin a *Nachmanide* explicari. *Nachmanides* autem in *Biur al hattora* edit. *Venetæ* in fol. f. 70. col. 4. commentatur, illud pallium non fuisse breve instar inducii, sed usq; ad pedes pertigisse, & caruisse manicis. Quares partim ex Orientalium populorum consuetudine, vestes longas gestantium partim ex vestibis tintinnabulis & pomogranatis vestitis, quæ etiam puellis & pueris præcipuæ dignitatis in usu erant, probari luculenter posset.

§. 2.

Hinc in *Miscbna* c. 7. §. 1. scribitur, si præfectus sacerdotum audivisset sonum pedum sacerdotis summi (non vero sonum crurum) quod velum portæ templi oppansum elevarit. *Vid. Jom Tob* in b. l. Hinc etiam *Moses Alshech* in *sepher Torath Mosche* edit. *Pragensis* in fol. f. 152. p. 1. col. 1. scribit, tintinnabula fuisse terræ allisa, & quid illa allisio significarit ibidem explicat. Quo pertinet annotatio *Isaaci Arama* in *Akedatb jitzchak* edit. *Venetæ* in fol. f. 138. col. 3. qui Meil pallium fuisse Prophetarum & Pharisaorum scribit, quorum pallia oblonga erant. Præterea *Isaacus Athias* in *Tbesoro de Preceptos* edit. *Amstel.* in 4. f. 16. col. 2. Meil ad imum descendisse asserit.

§. 3.

Cum Judæis faciunt quoque Christiani interpretes, qui teste *Eduardo Leigh* in *Critica sacra* edit. *Amstel.* in fol. p. 129. Hebræorum Meil per vestem talarem, ad talos descendentem, ut & per stolam, & per togam, cujusmodi quoque vestes talares erant, interpretantur. Quibus suffragatur *Joannes Forsterus*. in *Dictionary Hebraico* edit. *Basil.* in fol. p. 478. & 450. scribens fuisse vestimenti genus

nus

mus, quo superinduebantur reges, fuisse idem quoque cum  
Græcorum pallio. Sed pallia Græcorum fuisse ad pedes fusa  
extra omnem dubitationis aleam ponit *Octavius Ferrarius*  
*in libro de re vestiaria Parte 2. p. 139. edit. Patavina in 4.*

§. 4.

Nec illud reticendum est, etiam Pectorale Sacerdotis  
summi ad pedes descendisse. Videatur *Obadias de Saphor-*  
*no in Biur al battora edit. Venet. in 4. f. 40. col. 1.*

## THESIS IX.

Non communis Hebræorum senten-  
tia est, divaricationem digitorum  
in benedictione Sacerdotali quin-  
que habuisse spatia.

§. 1.

Tametsi in libro *Schepha Tal edit. Hanoviensis in fol.*  
*in prefatione* delineantur manus sacerdotis benedicentis  
cum quinque digitorum spatiis, tamen nondum sequitur,  
hanc esse communem Hebræorum sententiam, quasi quin-  
que illa spatia necessario requirantur.

§. 2.

Nam manus illæ benedicentes, cum tribus tan-  
tum spatiis, junctis utriusque manus digitis cereberrime  
ab ipsis Judæis delineantur, etiam ab iis, qui sacerdotali  
munere funguntur, ut illorum sententiæ merito nive-  
ram adjiciamus calculum. Hanc enim imaginem, quam  
defendimus, reperimus *in libris Levuschim Mardochai*  
*Zapbe in fol. 4. Tomis Praga excusis*, ubi illa imago in sin-  
gulorum librorum fronte apparet. Reperimus illam

C 3

quo-

quoque in titulo versionis Germanicæ *jekutbielis Amstel. in fol. excusa*, ut & in titulo libri *Celi Zakar R. Ephraim edit. Pragens. in fol.* ac in aliis libris passim magno numero, quos recensere operæ non est pretium.

## THESIS X.

Altaris holocaustorum scala major usque ad altaris apicem pertingebat, nec duæ scalæ minores a radicibus scalæ majoris derivabantur.

### §. I.

Nemo Hebræorum refragatur, scalem altaris majorem ad apicem ejusdem pertigisse. Nam *Majmon in libro de domo electa c. 2. §. 13.* commentatur, altitudinem scalæ majoris pertigisse usque ad locum, in quo sacri ignes struebantur, i. e. usque ad altaris apicem. Ita etiam delineant majorem scalam *Moses Ben Gersom loc. supra citato, Jom Tobb in Middoth ad fol. 147.* & ex *Judæis Conversis Ludovicus de Compigne de Veil. in libro de cultu divino ad pag. 38. edit. Paris.* Erat autem scala illa lapidea, sicut & altare ipsum erat lapideum ex lapidibus magnis & integris constructum, non autem ex lapidibus Galith, de qua structura altaris legantur *Samuel Tzirsa interpres Aben Esra in Mecor Chajim edit. Mantuana in fol. f. 46. col. 2. & 3. Medrasch Hammecbilt in Exodum*

*Exodum edit. Venet. in fol. f. 27. col. 4. f. 5. Moses Bar Nachman  
Gerundensis in Biur al hattora edit. Veneta in fol. f. 62.  
col. 1.*

§. 2.

Ex duabus autem scalis minoris illa quæ ad altaris pavimentum tendebat, a radicibus scalæ majoris derivabatur, altera autem scala, quæ in ambitum altaris medium tendebat, a media scala majori in illum altaris ambitum derivabatur. Descripsit has duas scilas *Majmon. de domo electa. c. 2. §. 14.* & ad nostram eas mentem effigiant, *Constantinus L<sup>o</sup> Empereur in Middoth. Moses Ben Gersom l.c. in figura 1. num. 33.* & *Johannes Jacobus Cramerus in Exercitationibus Philologicis de ara exteriori templi secundi ad pag. 198. edit. Amst. in 4.* Plura quæ huc pertinent, videantur in *dissertatione nostra Wittenb. de altari exteriori A. 1697. habita, ubi altare holocaustorum totum cum omnibus, quæ huc pertinent, ari incisum exhibetur.*

§. 3.

Magis videtur mirum, altare holocaustorum cum suis tribus scalis tabernaculo tribui, quasi cum istis scalis portari debuerit, quod quomodo fieri potuerit vix assequimur. Licet enim una scala isti altari competat, ut docet *Jarchius in Exod 27.* tamen circuitus serviens ambulationi sacerdotum non erat in altari holocaustorum tabernaculi Mosaici, nisi in ejus apice inter cornua, docente *Jarchio loc. cit.* cui ergo usui fuissent scalæ reliquæ; imo quomodo si sacerdotes inter cornua deberent ambulare, scala altaris major poterat esse brevior, quam ut ad apicem altaris pertingeret.

THE-

## THESIS XI.

### Scala altaris holocaustorum major carebat gradibus.

§. 1.

Non sine fastidio gradus cernuntur in scala majore, cum tamen lex Mosaica gradus prohibeat, ceu expressis verbis legitur Exod. 20. v. 26. unde & illa scala Cebhesch sive clivus vocabatur, quod gradibus careret, quod cum aliis Judæis communi consensu affirmant *Don Isaac Abarbanel in Perusch battora edit. in Venet. in fol. f. 177. col. 3.* & *Josephus Karo in Cesepb Mischne in Majmonidem de domo electa. c. 2. §. 13. edit. Venet. minor. fol. 169. p. 1.*

§. 2.

Videntur autem illæ imagines, quæ gradus exhibent, originem duxisse ex *Bibliis Angliis Cantabrigiensibus majoribus*, ubi scala magnifice cum gradibus delineatur, cum tamen eruditiores Angli ipsimet gradus scalæ huic dene- gent, ut ex illorum scriptis Philologicis passim apparet; cir- cuitus tamen altaris circa mensam marmoream recte ex- pressus est, qui in aliis altaris hujus imaginibus male omit- titur.

§. 3.

Quod ad rationem attinet, cur carere scala gradibus deberet, ne scilicet retegeretur sacerdotum nuditas, exi- stimat *Joannes Clericus in commentar. in Exod. p. 99. Sacer- dotes sine subligaculis sive femoralibus quandoq; fecisse sacra*  
laxio-



*laxioribus tantum tunicis induti, quo fieri poterat, ut vento tunicam agitante atque inflante retegeretur sacra facientium nuditas. Sed cum inauditum apud Hebræos sit, sacerdotes sine femoralibus unquam ministrasse, rectius hanc rem explicat Jarchius in b. l. & scribit, si gradibus ascenderent altare sacerdotes crura divaricare debuisse, non aliter ac si nudi vellent conspici, qui modus incedendi a sanctitate & reverentia sacerdotum alienus erat.*

## THESIS XII.

**Altare suffitus non habebat cornua tecta, (sicut nec altare holocaustorum) nec inter mensam & candelabrum versus sanctum sanctorum, sed versus portam templi orientalem ponebatur.**

### §. I.

Duo circa altare suffitus errores observantur, primus error hic est, quod cornua ejusdem pingantur tecta, cum tamen nulla cornua altaris, sive interioris sive exterioris tegerentur, sed omnia cornua essent aperta, ad palmi latitudinem formata. Non immorabimur in præsens *Spenceri sententia*, qui cornua altaris fuisse curvaturas ex ære ad cornuum tauri vel arietis figuram factas opinatur in libro de legibus Hebræorum ritualibus, edit. Cantabrigiæ in fol. f. 562. seqq. utpote quæ sententia nullum re-

D

perit

perit apud veteres Hebræos calculum, sed quod illa cornua haberent altitudinem, longitudinem & latitudinem unius palmi, & sic quadrata & aperta essent facile probabimus. Ita enim hanc cornuum fabricam describunt *Jarchius comment. in librum Menachoth edit. Amstel. Immanuelis Benevenisti fol. 97. p. 1. f. & Majmon. in librum Middoth. edit. Rivensis fol. 396. p. 2.* Itaque non vocabantur cornua a figura, sed a robore, quod robur altaris his cornibus contineretur, sicut robur animalium est in cornibus.

§. 2.

Alter error circa altare suffitus est, quod versus sanctum sanctorum collocetur, cum collocari versus portam orientalem debeat. Quod enim inter mensam & candelabrum altare suffitus foras prominere (nempe versus portam orientalem) non vero intus (versus sanctum sanctorum) disertis verbis asserunt *Majmon. T. 3. operum titulo de domo electa c. 3. §. 17. & Moses Ben Gersom nuper Venetiis editus in figura 1.* ubi recte ad mentem veterum delineat.

THESIS XIII.

Mare æneum Salomonis cum nimium multis epistomiis delineatur.

§. 1.

Nemo est qui ambigat, duobus ordinibus fuisse in mari æneo exhibita epistomia, sed an tam numerosa fuerint

riat, & an omnia simul aperta fuerint, merito ambigitur. Nam si ponderamus rem accuratiori mentis trutina, merito occurret dubitandi ratio, quandoquidem totum mare æneum non nisi singulis diebus semel nova aqua replebatur, si dem faciente *Majmonide T. 3. oper. titulo de ingressu in san-ctuarium c. 5. §. 14.* & *Ainsworth in Exodum fol. 128. col. 2. edi-tionis Londinensis. in fol.* Jam vero si illa aqua per totum diem ex triginta duob9 epistomiis vel etiam juxta alios plu-ribus simul ingenti copia deflueret, annon paucis horis red-debatur vacuum, & sic Judæi caruissent in templo aquis?

§. 2.

Accedit, quod nullius usus tot essent epistomia simul aperta. Nam *Ben Katbin sacerdos summus* sua ætate non necesse arbitrabatur ut plura epistomia, quam duodecim aperirentur, ut duodecim sacerdotes, membra jure sacrifi-cii in altare deportaturi simul lavarentur. Licet enim sa-cerdotes tredecim ad hoc ministerium requirerentur, ta-men qui jure sacrificium mactarat, etiam extraneus, si ve Ju-dæus non in sacerdotali munere constitutus, esse poterat, & hinc lotionem non indigebat, ceu docetur in *Mischna de festo expiationis c. 3. §. 10. Et in eam in Bartenora edit. Rivenfis fol. 92.*

§. 3.

Hinc longe aliam Maris ænei imaginem exhibet *Edu-ardus Bernhardi in libro de Mensuris Et ponderibus antiquis edit. Oxoniensis in 8.*

## THESIS XIV.

### Duodecim gradus, quibus de loco,

D 2

qvi

qvi erat inter templum & altare,  
ascendebatur in porticum, non a-  
scendebatur in ædificium, sed in  
ambulacrum, nec erant in tres or-  
dines divisi, qvolibet continente  
gradus qvatuor.

§. 1.

Recte quidem asseritur, duodecim gradibus Judæos  
ascendisse in porticum Salomoneam, sed porticus delineari  
instar ædificii multis conclavibus in parte superiore distincti  
non debet, ne porticus pro ipso templo habeatur, sed por-  
ticus erat tantum ambulacrum fornicibus ornatum, vel  
etiam se habebat sicut se habebant ambulacra, ad templi la-  
tera formata, ut docet *David Kimchius*, in libro *Radicum*  
*edit. Veneta in fol. p. 30. & 203. in R. מִן וְ in R. וְ*.

§. 2.

Itaque porticus Salomonea ambulacrum erat, & gra-  
dus illi duodecim ita dividebantur, ut ad portam orienta-  
lem ascenderetur primo gradibus qvatuor, deinde aliquo  
intervallo gradibus tribus, & denique iterum aliquo inter-  
vallo gradibus qvinque, sicut totam portam cum gradibus,  
& trabibus qvinque cedrinis super injectis, ac denique cum  
adjacente muro pulcherrime ad mentem veterum delineat  
*Moses Ben Gersom. loc. cit. in figura 2.*

§. 3.

§. 3.

Qui graduum ascensus si cum ascensu ad templum Lunæ sive Jsidis ab *Alexandro Donato in Roma vetere ac recente descripto edit. Amstelod. in 4. ad p. 184. 185.* conferatur, apparebit gentiles quoque gradus non æqualiter divisisse, cum gradus inferiores ad templum Lunæ quinque, superiores autem aliquo ab iis intervallo numerentur quatuor.

§. 4.

Ex porticu autem in templum via plana incedebant, ut docet *Moses Majmonides in Mischnam Middoth edit. Rivensis in fol. f. 396. p. 1. init.*

## THESIS XV.

### Delineatio totius templi & omnium atriorum ad mentem Doctorum Mischnicorum concinnari debet.

§. 1.

Doctorum Mischnicorum mentem, in delineanda totius templi & omnium atriorum fabrica, eleganter expresserunt *Jom Tobh ad Mischnam Middoth edit. Wülmersd. in 4. ad p. 144.* Et *Moses Ben Gersom* ante paucos annos *Venetiis*, supra aliquoties laudatus.

§. 2.

Quas delineationes si cum iis conferimus, quæ hodie circumferuntur, facile apparebit Christianos non-

nullos mentem veterum Hebræorum non esse per omnia  
 affecutos, licet aliqua satis idonee delinearint.

§. 3.

Ut dentur exempla, ipsum templum ambitus habebat  
 quinque, qui a tribus lateribus excepto latere orientali illud  
 cingebant, sed a Christianis nonnullis ambitus saltem unus,  
 vel ad summum duo exhibentur, ceteris præteritis.

§. 4.

Præterea in porticu Salomonis duæ erant mensæ, in  
 quibus panes facierum deponebantur, (distincte a duabus  
 mensis prope altare positis, in quibus sacrificiorum carnes  
 dividebantur,) quæ mensæ a Christianis nonnullis omit-  
 tuntur.

§. 5.

Beth Mokad, sive culina major prope adjacebat co-  
 lumnis mactatoriis, non vero altius pingi debet. Ejus ve-  
 ro camerae erant camera agnorum, camera panum facie-  
 rum, camera lapidum, & camera ignis.

§. 6.

Scala qua ascendebatur in porticum Salomonis gradi-  
 bus constabat duodecim. Ergo non pingi pauciores de-  
 bent.

§. 7.

Omnes tres altaris holocaustorum scalæ non æqualiter  
 ad apicem altaris tendebant, sed sola scala media.

§. 8.

Annuli mactatorii, ad altare holocaustorum effi-  
 giati

giati, non quatuor ordinibus sed sex ordinibus ponebantur, quolibet ordine annulos continente quatuor.

§. 9.

Camera lotionis ab Hebræis ponitur in austro atrii sacerdotalis, non vero in aqvilone, ut Christiani nonnulli delineant.

§. 10.

Gradus, quibus ex atrio Israëliitarum in atrium sacerdotum ascendebatur, non sua longitudine totius atrii latitudini æquales erant.

§. 11.

Camera salis & camera lapidum erant quidem in atrio Israëliitarum, sed non ambæ in aqvilone ejusdem atrii, sed camera lapidum in aqvilone, camera vero salis in austro ab Hebræis collocatur.

§. 12.

In atrio Israëliitarum camerae duæ subterraneæ, in quibus Levitæ abscondebant instrumenta musica, a Christianis nonnullis omittuntur.

§. 13.

Porta atrii exterioris (sive atrii gentium) eum porta Nicanoris conjungi non debet, quia hac ratione totum atrium mulierum, utpote quod inter atrium gentium & atrium Israëliitarum interjacebat, omitteretur, in quo atrio mulierum quatuor erant conclavia, duo versus aqvilonem nempe, conclave lignorum, & conclave leproforum, & duo versus austrum, nimirum conclave Nasiræorum & conclave rerum pingvium, nempe olei & vini.

§. 14.

Portæ templi meridionales ita collocari debent,  
ut

ut suprema versus meridiem sit porta incensionis, altera sit porta primogenitorum, tertia sit porta aquæ, quem ordinem Hebræi tenent, a quibus temere recedendum non est.

§. 15.

Loca Synedriorum duorum, viginti trium personarum, quorum unum sedebat in atrio mulierum, alterum in atrio gentium, eleganter delineavit *Moses Ben Gersom*, qui utrumque synedrium versus aquilonem collocat. Ergo pingi non debet versus austrum, multo minus ad atrium Israëlitarum poni locus synedrii potest. Duo autem fuisse synedria personarum 23. extra dubium est, siquidem a synedrio 23. sedente in atrio gentium, appellare poterant ad synedrium 23. sedens in atrio mulierum, ut scribit *Majmon. T. 4. operum edit. Ven. minoris, tit. de rebellibus c. 3. §. 3.* De variis etiam synedriis commentatur *Elias Levita in Metburgeman edit. Isnensis in fol. f. 101. p. 2.*

## THESIS XVI.

**Lecti Judæorum, in quibus accumbabant mensæ, non juxta suam latitudinem, sed juxta suam longitudinem, admovebantur mensæ.**

§. 1.

Recentiores scriptores lectos ita circa mensam collocant, quasi una tantum persona accumbere in lecto uno possit, ut corpora juxta lecti longitudinem extendantur, & latitudo lecti mensæ admoveatur, sicut etiam accubitum ad agnum paschalem Servatoris cum discipulis oculis subjecit *Vilalpandus*. Quem tamen ex parte melius delineavit *Ant. Bynæus de morte J.C. Lib. 1. ed. Amst. in 4. p. 260.*

§. 2.



Sed cum Hebræi constantur doceant, unum accubuisse ad genua alterius, sicut traditur in *Gemara capit. 10. Pesachim fol. 108. p. 1. edit. Amstel. Et a Jarchio in Gemaram Berachoth fol. 46. p. 2.* non possunt non lecti ita mente concipi, quod juxta suam longitudinem mensæ admoverentur, ut tres vel quatuor personæ in lecto uno simul accumbentes, cibum de mensa caperent, quod fieri non poterat, si lecti juxta suam latitudinem mensæ admoverentur, quia sic non nisi unus in uno lecto capere cibum poterat.

§. 3.

Sed hanc rem non persequemur luculentius, cum illum accubitus Hebræorum in *dissertatione Wittenberg. de accubitu ad agnum paschalem Hebræorum veterum Anno 1698. habita prolixè excusserimus.*

§. 4.

Hoc saltem adjicimus, nisi lecti secundum longitudinem mensæ admoverentur, non posse explicari, quomodo corpus in cubitum sinistrum requieverit, nec quomodo pedes in terram protenderentur, ne secundo vel tertio loco accumbenti impedimento essent; imo sic nec explicari posse, quid sit in sinu Abrahæ accumbere, si omnem accubitus in sinu Hebræis adimamus. Videantur *Joannes Saubertus in Palastra Theologico Philologica edit. Norimb. in 4. p. 278. seqq. Et Joan. Henric. Otto in Lexico Rabbin. Philolog. edit. Genevens. in 8. p. 5.*

## THESIS XVII.

Pharisæus, si cum peniculamentis pingitur, non nisi octo fila in quolibet vestimenti angulo pingi debent.

### §. 1.

Veram imaginem Pharisæi cum peniculamentis exhibet *Wagenfeilius in libro Sotha, edit. Altorf. in 4. p. 407.* sed male ejusdem imago expressa est ab aliis, qui cum 8. tantum fila exhibere in quolibet vestis angulo deberent, vel centena exhibent, & sic Pharisæorum consuetudinem evertunt. Licet autem variæ essent Pharisæorum classes, ut patet ex *Lexico Aruch edit. Venetæ in fol. f. 127. & 128. & ex Thoma Godwyn Mose & Aarone edit. Bremens. in 8. p. 99.* tamen omnes gerebant peniculamenta. Quod autem non nisi 8. fuerint fila, explicat quoque *Doctor Addison in Statu Judæorum in Barbaria edit. Lond. in 8. p. 95.*

### §. 2.

Multo minus Pharisæi cum suis peniculamentis verrebant terram, quia sanctitatis erant studiosissimi. Nam licet vestes gererent oblongas, tamen oblongis vestibus non applicabant peniculamenta, nec necesse erat, ut omnes vestes peniculamentis ornatae ad terram pertingerent, sicut illud nec hodierni Judæi attendunt.

### §. 3.

§. 3.

Quomodo autem ista peniculamenta se habuerint, quod vel alba vel cœrulea fuerint, quod non nisi vestibus laneis vel lineis annecterentur, præterea quod si vestes essent virides vel rubræ peniculamenta coloris consueti adjungerentur, si essent cœruleæ, non peniculamenta cœrulea sed alba assuerentur, & alia ejusmodi, ex *Maimonide* docent *Henricus Ainsworth* in *Commentar. Angelico in Exodum* edit. *Londinens.* in fol. f. 96. col. 2. & *Purchasius* in libro *Anglico*, quem vocat *Pilgrimage* edit. *Londinens.* in fol. f. 209. conferantur *Piske* *Tosepboth* post titulum *Menachoth*. numero 155. seqq.

§. 4.

Quomodo autem Phylacteria brachio sinistro applicuerint Pharisei, & quod illa etiam super cubitum inter humerum & cubitum posuerint, expressis verbis asserit *Maimonides* *Operum* T. 1. edit. *Ven. minoris titulo Tephillin. c. 4. §. 2. fol. 83. p. 2.* Nam e regione cordis ponebantur sicut ex *Sobar* probat *Menachem Rekanatensis* in *sepher Taame Hammizvath*, editionis *Constantinopolitanae* in 8. titulo: *preceptum est applicare phylacteria.*

§. 5.

Connectimus autem phylacteria cum peniculamentis, quia Phariseus utraque sibi applicabat. Licet enim extra orandi tempus phylacteriis non uteretur, vestem tamen peniculamentis ornata gestabat a pallio precatorio peniculamentis ornato distinctam.

## THESIS XVIII.

Scribæ duo Synedrio majori non af-  
fidebant, sed adstabant.

§. 1.

Pinguntur illi scribæ a nonnullis, quasi mensis dua-  
bus pulcherrimis tapetibus ornatis affideant, & in proli-  
xum Megilla annotent, quæ annotare debebant. Sed  
*Majmonides T. 4. Operum edit. Venet. min. titulo de Syne-  
driis c. 1. §. 9. fol. 228. p. 1.* scribit, duos illos scribas stetisse ante  
synedrii assessores, unum a dextra, alterum a sinistra, unum  
annotasse vota absolventium hominem accusatum, alterum  
annotasse vota condemnatum. Quando autem synedri-  
um majus in lemicirculo effigiatur, recte se imago habet.  
*Videatur Moses Kotzenlis in Smag. T. 2. edit. Venet. in fol. f.  
186. col. 2.*

§. 2.

Qui illa fusius legere voluerit, consulat *Henricum  
Houing. in versione Majmonidis de synedriis & pænis Amste-  
lod. An. 1695. in 4. edita, p. 7.*

§. 3.

Adstipulantur quoque sententiæ nostræ *Joannes Sel-  
denus de Synedriis & prefecturis veterum Ebraeorum lib. 2. c. 6.  
p. 161. edit. Amstelod. in 4. & Campegius Vitringa de Synagoga  
vetere, lib. 1. part. 1. c. 6. 7. p. 159. edit. Franekerane  
in 4.*

§. 4.

Synedria autem Hebræorum & matutino & vesper-  
tino tempore judicabant, licet in criminalibus matuti-  
num tempus tantum Hebræis tribuat judicibus *Simone de*  
*Muis, Professor Parisinus, in Psalmos, edit. Parisinæ in fol.*  
*p. 24.*

## THESIS XIX.

Homo lapidibus jussu synedrii obru-  
tus, post lapidationem, suspendeba-  
tur in cruce junctis manibus.

§. 1.

Si quæritur, quomodo ille homo suspensus fuerit,  
respondetur ad Hebræorum mentem, suspensum fuisse  
junctis manibus. Nam cum manus lapidando constringe-  
rentur, illis constrictis manibus post mortem suspendebatur,  
ut maledictionem sustineret, & sic inferiore corpore  
vestibus aperto, ut & pedibus tectis elevabatur in crucem,  
quia eo modo lapidatus fuerat, nec opus erat in cruce  
vel latera vel pedes detegere, quia illa in lapidatione non de-  
tegebantur.

§. 2.

Quod junctis manibus suspenderetur, docetur ex-  
pressis verbis in *Mischna de Synedriis c. 6. §. 4. Vid. in b. l.*  
*Jom Tobb. edit. Wülmersd. in 4. f. 58. p. 2. ubi ob maledi-*

tionem ita suspensum fuisse asserit. Idem probatur ex codice Manuscripto Anglico in cap. Nigmar Haddin hal. 2. titul. de Synedriis. Videatur Dissertatio nostra Wittenberg. de suspendio hominis lapidibus obruti A. 1694. habita. §. 3. 4. 5.

## THESIS XX.

Lorum, quo jussu synedrii cædebantur rei, ita concinnatum erat, ut ex eo duo lora lateralia prodirent.

### §. 1.

Pingitur illud lorum quasi duo lateralia lora ex manubrio prodierint, sed illa prodibant ex loro medio vitulino oblonga. Ita enim legitur in *Mischna Maccotb c. 3. §. 12.* quod minister synagogæ cæsurus rerum, tenuerit manu sua lorum vitulinum quadruplicatum, ex quo loro vitulino (non vero ex manubrio) prodierint duo lora ascendentia & descententia.

### §. 2.

Quod illa duo lora asinina fuerint, & quidem tenuiora, quam erat lorum medium oblongum, non vero ejusdem cum loro medio latitudinis, docet *Bartenora in Mischnam Maccotb l. c.* Quomodo autem illa duo lora ex loro medio ascenderint & descenderint interpretatur *Jom Tobb in Mischnam Maccotb.* quando scribit, quod foramen

foramen in loro medio fuerit inferius versus manubrium, ex quo unum laterale lorum prodierit, & præterea fuerit foramen in loro medio superius, ex quo alterum laterale lorum prodierit, & sic cum attolleretur lorum medium, videbantur lora lateralia ascendere & descendere.

§. 3.

Hodienum etiam flagellatio obtinet, si urgeat necessitas. Videantur *Joël Sirks Operum T. 4. Tur Cboschen Ham-mischpatb edit. Cracoviens. in fol. f. 4. p. 1.* & *Joseph Karo in Schylchan Aruch. T. 4. edit. Venet. in 8. f. 2. col. 2. 3.*

## THESIS XXI.

Pulvis aquæ injectus, quem jussu Synedrii bibere debebat uxor adulterii suspecta, non ex atrio sacerdotali capiebatur.

§. 1.

Pingitur a nonnullis feminæ adulterii suspectæ potatio, quasi aliqui ex Levitis verrendo sacerdotale atrium pulverem colligant, quem aquæ feminæ exhibendæ injiciant. Sed *Majmon. T. 2. Operum edit. Ven min. in libro Sotha c. 3. §. 10. fol. 109. p. 2.* commentatur, quod sacerdos pulverem allaturus ingressus templum sit, ubi locus fuerit

rit

rit ad dextram, in quo tabula erat marmorea, quam tollebat sacerdos, & pulverem sub illa tabula acceptum aquæ injiciebat, deinde absynthium, vel aliquid aliud, unde amaræ redderentur, cum iis conjungebat.

§. 2.

In eadem imagine, nec altare nec labrum suis ponuntur locis, ad Hebræorum mentem, sed prout ei placuit, qui æri incidit.

Hæc in præsens dixisse de imaginibus Hebræarum rerum sufficiat. Si enim singulas persequi imagines vellemus, multa adhuc de structura tabernaculi Mosaici attingi debuissent, v. g. delineatur tabernaculum Mosaicum quinque vectium exteriorum ordinibus, qui multis annulis inseruntur, cum tamen ex Hebræis constet, vectes superiores & inferiores tantum fuisse annulis insertos, vectem autem medium transisse perforatos asseres, & sic intra asseres fuisse. Videatur *Jarchius in Exod. 26*. Sed hæc & alia ejusmodi alio excutientur tempore. Quæ autem hic excussimus, sine ullius læsione solius amore veritatis in medium protulimus, ne illi, qui imagines Hebræarum intuentur rerum, falsam pro vera arripiant; neq; librorum autores propterea accusantur, si aliqua in imaginibus non recte se se habeant, cum forsitan chalcographi suis indulserint ingeniis, vel secure secuti aliorum imagines non illas censuræ literariæ subjece-  
rint, & sic errores facile irre-  
pferint.

T A N T U M.

*Coll. diss. A. 24, misc. 35*